

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2824

Auteur(s) : Robert, Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (moine)

Bénéficiaire(s) : Gervais, Saint-Céneri-le-Gérei, Saint-Céneri (prieur)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : ...1152...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Lettre de Robert, moine du Bec, à Gervais, prieur de Saint-Céneri, pour l'inviter à écrire l'histoire de Geoffroi, duc de Normandie, avec un abrégé de l'histoire des comtes d'Anjou et des comtes du Maine.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Chronique de Robert de Torigni, abbé du Mont-Saint-Michel : suivie de divers opuscules historiques de cet auteur et de plusieurs religieux de la même abbaye*, le tout publié d'après les manuscrits originaux, Rouen, Le Brument, 1872-1873, 2 vol., t. 2, « Lettres, chartes et pièces diverses de l'administration de Robert de Torigni », n° LX, p. 338-340.

Dissertation critique

Datation proposée par L. Delisle.

Texte établi d'après a

Charissimo in Christo fratri Gervasio, priori Sancti Serenici, frater Robertus, ultimus monachorum Becci, salutem et obsequium. Quoniam audio te a negotiis secularibus feriatum, et otio religioso occupatum, supplico dilectioni tuæ, quatinus ad ea quæ in Normannorum provincia evenerunt post excessum nobilissimi regis Anglorum et ducis Normannorum Henrici, usque ad mortem illustris ducis Normannorum et comitis Andegavensium Gaufridi, describenda accingaris. Hoc enim ad augmentum famæ tuæ proficiet, et gratiosum me tibi et remunerationis debitorem efficiet ; et quod his omnibus majus est, novi ducis favorem non modicum forsitan adquiret. Si autem ad hoc opus manum miseris, volo ut hoc ordine illud exequaris.

In primis omnium comitum Andegavensium, scilicet ab Ingelgerio usque ad ipsum Goifridum, breviter et quasi recapitulando, enumeres nomina, genealogias, successiones, et quot annis quisque eorum comitatu præfuit, et quæ præclara gesta memoriæ annalium digna, sive in spiritualibus, sive in secularibus rebus exercuit : sub quo etiam rege Francorum primum comitem Ingelgerium Andegavenses habuerunt. Cum autem veneris ad Fulconem, patrem Goifridi, quia uxor ejus fuit filia Heliæ comitis Cenomannorum, hac de causa volo ut, sicut epilogum fecisti de omnibus comitibus Andegavensium, ita facias et de omnibus comitibus Cenomannensium, et omnia observes in illis quæ superius observanda prætaxavi in istis. Hæc autem omnia libentius per memetipsum quoquo modo expedirem, si otium, facultas, copia chronicorum ad illos duos comitatus pertinentium, æque mihi ut tibi suppeditent.

Et quoniam de singulis ducibus Normannorum, a Rollone usque Henricum, nobilissimum regem Anglorum et ducem Normannorum, singuli libri apud nos retinent, dignum judicavi res gestas illius summatim describendo,

historiis antecedentium ducum super-adjicere, ne magnitudo illius silentio premeretur, qui et in vita sua multis profuit facto, et post mortem suam, si imitari dignentur, proficiet exemplo. Cui operi, propter continuationem temporum, illud quod a te postulo, continuari volo, quatinus ea quæ in temporibus nostris in nostra provincia gesta sunt, ad notitiam futurorum per scripturam transmittamus. Vale.